

torsit quos ipse rapuerat. « Nemo, inquit, in domum fortis intrat, et vasa ejus diripit, nisi prius alligaverit fortem<sup>1</sup>. » Alligavit fortem, et vasa ejus diripuit: certe non rapuit: sed respondet tibi, Vasa ista de domo magna mea perierant; non furtum feci, sed furtum recepi.

X. « Deus, tu scisti imprudentiam meam<sup>2</sup>. » Iterum ex ore corporis. Nam quæ imprudentia in Christo? Nonne ipse est Dei Virtus et Dei Sapiaentia? An illam dicit imprudentiam suam, de qua dicit Apostolus: « Stultum Dei sapientius est hominibus<sup>3</sup>? Imprudentiam meam, » hoc ipsum quod in me irriserunt qui sibi videntur esse sapientes. Tu scisti quare fieret: « Tu scisti imprudentiam meam. » Quid enim tam simile imprudentiæ, quam cum haberet in potestate, una voce suos persecutores prosternere, ut pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi? Imprudentiæ simile est; stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes. Stultum quidem est: sed et granum quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur. Labore magno metitur, portatur ad aream, tritatur, ventilatur; post tanta pericula cœli et tempestatum, et labores rusticorum curamque dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems, et quod purgatum erat, profertur et projicitur: imprudentia videtur; sed ut non sit imprudentia, spes facit. Non ergo ille pepercit sibi: quia et « Pater illi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum<sup>4</sup>. » Et de ipso, « Qui dilexit me, inquit Apostolus, et tradidit se ipsum pro me<sup>5</sup>: quia granum nisi ceciderit in terram ut moriatur, fructum, inquit, non reddet<sup>6</sup>. » Hæc est imprudentia, sed tu nosti illam.

<sup>1</sup> Matth. xii, 29. — <sup>2</sup> Psal. lxxviii, 4. — <sup>3</sup> I Cor. i, 25. — <sup>4</sup> Rom. viii, 32. — <sup>5</sup> Gal. ii, 20. — <sup>6</sup> Joan. xii, 24.

« Isti autem si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent<sup>1</sup>. Deus, tu scisti imprudentiam meam. Et delicta mea a te non sunt abscondita. » Hoc plane, lucide, aperte, quia ex ore corporis intelligendum est. Delicta nulla Christus habuit; fuit delictorum susceptor, sed non commissor. « Et delicta mea a te non sunt abscondita: id est, confessus sum tibi omnia delicta mea, et ante os meum vidisti ea in cogitatione mea, vidisti vulnera quæ sanares. Sed ubi? Utique in corpore, in membris; in illis fidelibus, unde illi hærebat jam membrum illud quod confitebatur peccata sua. « Et delicta, inquit, mea a te non sunt abscondita. »

XI. « Non erubescant in me, qui te expectant, Domine, Domine virtutum<sup>2</sup>. » Rursus vox capitis, « Non erubescant in me: » non dicatur illis: Ubi est qui vobis dicebat: « Credite in Deum, et in me credite<sup>3</sup>? Non erubescant in me, qui te expectant, Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israël. » Potest hoc et a corpore intelligi; sed si corpus ejus non unum hominem ponas: quia revera non est unus homo corpus ejus, sed exiguum membrum; corpus autem ex membris constat. Corpus ergo ejus plenum, tota Ecclesia. Merito ergo dicit Ecclesia: « Non erubescant in me, qui te expectant, Domine, Domine virtutum. » Non sic affligar ab insurgentibus persecutoribus, non sic obterar ab invidentibus inimicis meis, ab oblatrantibus hæreticis qui a me exierunt, quia non erant ex me: nam si fuissent ex me, mecum forsitan permansissent<sup>4</sup>. Non sic eorum scandalis premar, ut « Erubescant in me qui te expectant, Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israël. »

<sup>1</sup> I Cor. ii, 8. — <sup>2</sup> Psal. lxxviii, 7. — <sup>3</sup> Joan. xiv, i. — <sup>4</sup> I Joan. ii, 19.

XII. « Quoniam propter te sustinui exprobrationem, » operuit irreverentia faciem meam<sup>1</sup>. » Nihil magnum est quod dicitur, « Sustinui : » sed quod dicitur : « Propter te sustinui. » Si enim sustines, quia peccasti; propter te sustines, non propter Deum. « Quæ enim vobis gloria » est, ait Petrus, si peccantes punimini, et suffertis<sup>2</sup>? » Si autem sustines quia mandatum Dei servasti, vere propter Deum sustines; et merces tua manet in æternum, quia propter Deum sustinuisti opprobria. Ideo enim prior ille sustinuit, ut nos sustinere disceremus. Et si ille, qui non habebat quod illi objiciebatur; quanto magis nos, qui, etsi non habemus peccatum quod nobis objicit inimicus, habemus tamen alterum quod digne in nobis flagelletur? Nescio quis te furem dicit, et non es fur: audis opprobrium; non tamen sic non es fur, ut non sis aliquid quod Deo displicet. Porro si ille qui omnino nihil rapuerat, qui verissime dixerat: « Ecce venit princeps mundi hujus, et » in me nihil inveniet<sup>3</sup>, » dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Beelzebub<sup>4</sup>, dictus est insanus: tu dedignaris, serve, audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis? Ille venit ut tibi præberet exemplum. Quasi gratis hoc fecerit, sic tu non proficis. Quare enim ille audivit, nisi ut tu cum audires non deficeres? Ecce tu audis, et deficis: frustra ergo ille audivit: non enim propter se, sed propter te audivit. « Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia » faciem meam. Irreverentia, inquit, operuit faciem » meam. » Irreverentia quid est? Non confundi. Denique quasi vitium videtur, cum dicitur: Irreverens homo est. Magna irreverentia hominis, non illum erubescere. Ergo irreverentia quasi impudentia est. Oportet ut habeat Chris-

<sup>1</sup> Psal. LXVIII, 8. — <sup>2</sup> 1 Petr. II, 20. — <sup>3</sup> Joan. XIV, 30. — <sup>4</sup> Id. IX, 24, et Matth. X, 25.

tianus irreverentiam istam, quando venerit inter homines quibus displicet Christus. Si erubuerit de Christo, deletur de libro viventium. Opus est ergo ut habeas irreverentiam, quando tibi de Christo insultatur; quando dicitur: Cultor crucifixi, adorator male mortui, venerator occisi: hic si erubueris, mortuus es. Sententiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit: « Qui me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram Angelis Dei<sup>1</sup>. » Observa ergo tu; sit in te irreverentia, frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo; prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis armasti? Hoc est enim: « Propter te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia faciem meam. Propter te sustinui exprobrationem: » et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur: « Operuit irreverentia faciem meam. »

XIII. « Alienatus factus sum fratribus meis, et hospes » filiis matris meæ<sup>2</sup>. » Filiis Synagogæ hospes factus est. In patria quippe ipsius dicebatur: « Nonne nos scimus » eum esse filium Mariæ et Joseph<sup>3</sup>? » Et unde alio loco: « Hunc autem nescimus unde sit<sup>4</sup>? Factus ergo sum hospes filiis matris meæ. » Non scierunt unde sim, de quibus erat caro mea: non me sciebant de femore Abraham natum; unde caro mea occulta erat, quando sub ipso femore manum servus ponens, juravit per Deum cœli<sup>5</sup>. « Hospes factus sum filiis matris meæ. » Quare hoc? quare non agnoverunt? quare alienum dixerunt? quare ausi sunt dicere: « Nescimus unde sit? Quoniam zelus domus tuæ » comedit me<sup>6</sup>; » id est, quia persecutus sum in illis iniquitates ipsorum, quia non patienter tuli quos corripui, quia quæsi gloria tuam in domo tua, quia flagellavi

<sup>1</sup> Matth. X, 32. — <sup>2</sup> Psal. LXVIII, 9. — <sup>3</sup> Luc. IV, 22. — <sup>4</sup> Joan. IX, 9. — <sup>5</sup> Gen. XXIV, 9. — <sup>6</sup> Psal. LXVIII, 10.

in templo male versantes<sup>1</sup> : ubi etiam positum est : « Zelus domus tuæ comedit me. » Hinc alienus, hinc hospes ; hinc, « Nescimus unde sit. » Agnoscerent unde sim, si agnoscerent quod mandasti. Si enim invenirem illos servantes mandata tua, zelus domus tuæ non comederet me. « Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Hoc testimonio usus est Paulus apostolus, (lecta est modo ipsa lectio, ) et ait : « Quæcumque ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt, ut per consolationem » Scripturarum spem habeamus<sup>2</sup>. » Dixit ergo Christi fuisse istam vocem : « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Quare, tibi ? » Numquid Patri exprobratur, et non ipsi Christo ? Quare, « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me ? » Quia qui me cognovit, cognovit et Patrem<sup>3</sup> : quia nemo exprobravit Christo, nisi Deo exprobrans : quia nemo honorat Patrem, nisi qui honorat et Filium<sup>4</sup>. « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, » quia me invenerunt.

XIV. « Et cooperui in jejunio animam meam, et factum » est mihi in opprobrium<sup>5</sup>. » Jejunium Christi spiritualiter jam in alio Psalmo commendavimus Charitati Vestræ<sup>6</sup>. Jejunium ipsius erat, quando defecerunt omnes qui in eum crediderant ; quia et esuries ipsius erat, ut in eum crederetur : quia et sitis ipsius erat, quando dixit mulieri : « Sitio, da mihi bibere<sup>7</sup> : » fidem quippe ipsius sitiebat. Et de cruce cum diceret, « Sitio<sup>8</sup> : » fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat : « Pater, ignosce illis, quia » nesciunt quid faciunt<sup>9</sup>. » Sed illi homines quid propinarunt sitiendi ? Acetum. Acetum etiam vetus dicitur. Merito de vetere homine propinarunt, quia novi esse no-

<sup>1</sup> Joan. II, 15. — <sup>2</sup> Rom. xv, 4. — <sup>3</sup> Joan. xiv, 9. — <sup>4</sup> Id. v, 13. — <sup>5</sup> Psal. lxxviii, 11. — <sup>6</sup> Vide supra enarrationem in Psal. xxxiv, Serm. II, n. 4. — <sup>7</sup> Joan. iv, 7. — <sup>8</sup> Id. xix, 28. — <sup>9</sup> Luc. xxiii, 34.

luerunt. Quare novi esse noluerunt ? Quia ad titulum Psalmi hujus ubi scriptum est : « Pro iis qui commutabuntur, » non pertinuerunt. Ergo, « Operui in jejunio animam » meam. » Denique respuit etiam fel quod illi obtulerunt : jejunare elegit, quam amaritudinem accipere. Non enim intrant in corpus ejus amaricantes, de quibus alio loco Psalmus dicit : « Qui amaricant, non exaltentur in semet- » ipsis<sup>1</sup>. Ergo, operui in jejunio animam meam, et factum » est mihi in opprobrium. » Hoc ipsum mihi in opprobrium factum est, quia non illis consensi, hoc est, ab illis jejunavi. Qui enim non consentit male suadentibus, jejunat ab ipsis ; et per hoc jejunium meretur opprobrium, ut ideo illi insultetur, quia non consentit ad malum.

XV. « Et posui vestimentum meum saccum<sup>2</sup>. » Jam et de sacco aliquid diximus<sup>3</sup>, unde illud est : « Ego autem » cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam. Posui vestimentum » meum saccum : » id est, opposui illis, in quam sævirent, carnem meam ; occultavi divinitatem meam. « Saccum, » quia mortalis caro erat, ut de peccato condemnaret peccatum in carne<sup>4</sup>. « Et posui vestimentum meum » saccum : et factus sum illis in parabolam, » id est, in irrisionem. Parabola dicitur, quando datur similitudo de aliquo, quando de illo male dicitur. Sic ille, verbi gratia, pereat, quomodo ille, parabola est : id est, comparatio et similitudo maledicti. « Factus ergo sum illis in parabolam. »

XVI. « Adversus me insultabant, qui sedebant in » porta<sup>5</sup>. In porta, » nihil aliud quam in publico. « Et » in me psallebant, qui bibebant vinum. » Putatis hoc, fratres, Christo tantummodo contigisse ? Quotidie illi in

<sup>1</sup> Psal. lxxv, 7. — <sup>2</sup> Id. lxxviii, 12. — <sup>3</sup> Vide Enarrationem in Psal. xxxiv, Serm. II, n. 3. — <sup>4</sup> Rom. viii, 3. — <sup>5</sup> Psal. lxxviii, 13.

membris ejus contingit : quando forte necesse erit servo Dei prohibere ebrietates et luxurias in aliquo vel fundo vel oppido, ubi non auditum fuerit verbum Dei, parum est quia cantant, insuper et in ipsum incipiunt cantare, a quo prohibentur cantare. Comparete nunc illius jejunium, et illorum vinum. « Et in me psallebant, qui bibebant » vinum : » vinum erroris, vinum impietatis, vinum superbiam.

XVII. « Ego autem oratione mea ad te, Domine<sup>1</sup>. » Ego autem ad te eram. Sed quomodo? Ad te orando. Quando enim malediceris, et quid agas non habes; quando tibi jactantur opprobria, et quomodo corrigas eum a quo jactantur non invenis, nihil tibi restat nisi orare. Sed memento et pro ipso orare. « Ego autem oratione mea ad te, » Domine. Tempus beneplaciti, Deus. » Ecce enim sepelitur granum; exurget fructus. « Tempus beneplaciti, Deus. » De hoc tempore et Prophetæ dixerunt, quod commemorat Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce » nunc dies salutis<sup>2</sup>. Tempus beneplaciti, Deus. In multitudine misericordiam tuam. » Hoc est tempus beneplaciti, « In multitudine misericordiam tuam. » Nam si non esset multitudo misericordiam tuam, quid nos faceremus de multitudine iniquitatis nostræ? « In multitudine misericordiam tuam. Exaudi me in veritate salutis tuæ. » Quia dixit, « Misericordiam tuam, » subjunxit et veritatem : quia misericordia et veritas universæ viæ Domini<sup>3</sup>. Quare misericordia? Dimittendo peccata. Quare veritas? Reddendo promissa. « Exaudi me in veritate salutis tuæ. »

XVIII. « Salvum me fac de luto, ut non inhæream<sup>4</sup>. » De illo, de quo supra dixerat, « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia<sup>5</sup>. » Proinde quia illud expo-

<sup>1</sup> Psal. LXVIII, 14. — <sup>2</sup> 2 Cor. VI, 2. — <sup>3</sup> Psal. XXIV, 10. — <sup>4</sup> Id. LXVIII, 15. — <sup>5</sup> Ibid. 3.

situm bene accepistis, quod hic audiatis expressius non est. Hinc se dicit liberandum, ubi se ante dixit infixum : « Salvum me fac de luto, ut non inhæream. » Et exponit hoc ipse : « Eruar ex iis qui oderunt me. » Ipsi ergo sunt lutum ubi hæseram. Sed hoc forte suggeritur. Paulo ante dixerat : « Infixus sum, » modo dicit : « Salvum me fac de » luto, ut non inhæream : » cum secundum sententiam priorem deberet dicere : Salvum me fac de luto ubi hæseram, eruendo me, non agendo ut non inhæream. Ergo hæserat carne, sed non hæserat spiritu. Dicit hoc ex infirmitate membrorum suorum. Quando forte caperis ab eo, qui te premit ad iniquitatem, tenetur quidem corpus tuum, secundum corpus infixus es in limo profundi : sed quando non consentis, non hæsisti ; si autem consentis, hæsisti. Oratio ergo tua ibi sit, ut quomodo jam tenetur corpus tuum, non teneatur et anima tua, sis liber in vinculis. « Eruar ex his qui oderunt me : et de profundo aquarum. »

XIX. « Non me demergat tempestas aquæ<sup>1</sup>. » Sed jam demersus erat. « Veni in altitudinem maris, » tu dixisti : « Et tempestas demersit me, » tu dixisti. Demersit secundum carnem, non demergat secundum spiritum. Quibus dictum est : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, » fugite in aliam<sup>2</sup> : » hoc eis dictum est, ut nec carne hærerent, nec spiritu. Non enim appetendum est, ut hæreamus vel carne ; sed quantum possumus, vitare debemus. Si vero hæserimus, et in manus peccatorum venerimus, jam corpore hæsimus, fixi sumus in limo profundi : restat pro anima deprecari, ut non inhæreamus, id est, non consentiamus, non nos demergat tempestas aquæ, ut camus in profundum limi. « Neque absorbeat me profundum, neque coarctet super me puteus os suum. » Quid

<sup>1</sup> Psal. LXVIII, 16. — <sup>2</sup> Matth. X, 23.

est hoc, fratres? quid deprecatus est? Magnus est puteus profunditas iniquitatis humanæ: illuc quisque si ceciderit, in altum cadet. Sed tamen ibi positus, si confitetur peccata Deo suo, non super eum claudet puteus os suum: ut est in alio quodam Psalmo scriptum: « De profundis » clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam<sup>1</sup>. » Si autem factum in illo fuerit quod alia sententia Scripturæ dicit: « Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnet<sup>2</sup>: » clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem; vere mortuus est, impletumque in eo est quod alibi dicitur: « A mortuo, velut qui non sit, » perit confessio<sup>3</sup>. » Metuenda ista res vehementer, fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum: quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, et dixerit: Vere peccavi, fateor; non super eum clausit puteus os suum: cum autem videris eum dicere: Quid enim mali feci? factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum, qua eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Ut ergo sit ille liberator, tu esto accusator.

<sup>1</sup> Psal. cxxix, 1. — <sup>2</sup> Prov. xviii, 3. — <sup>3</sup> Eccli. xvii, 26.

---

 ENARRATIO II

## IN EUMDEM PSALMUM LXVIII.

## SERMO II.

## De posteriore parte Psalmi.

I. POSTERIOR pars Psalmi, de quo hesterno die locuti sumus Charitati Vestræ, hodie nobis explicanda remanserat. Et video esse tempus reddendi debiti, si tamen ejus prolixitas non nos etiam hodie debitores reliquerit. Itaque hoc præloquor, et peto ne diuturnum sermonem in his quæ manifesta sunt expectetis. Ita enim possumus in obscurioribus necessitate immorari, et fortasse supplere quod debemus; ut aliis diebus alia debeamus, aliaque reddamus. Videamus ergo quæ sequuntur. Posteaquam dixit: « Neque coarctet super me puteus os suum<sup>1</sup>: » quod hesterno die commendavimus Charitati Vestræ, ut omni animi intentione et fide pietatis caveamus, ne hoc maledictum superveniat nobis. Tunc enim coarctat puteus super hominem os suum, id est, profunditas iniquitatis, quando non solum mersus in peccatis jacet, sed etiam perdit aditum confessionis. Quando autem dicit homo, Peccator sum: radiatur aliquo lumine etiam profunditas putei. Sequitur ergo, inter passiones exclamans Dominus noster Jesus Christus, caput et corpus; sicut commendavimus, ut quibusdam locis, capitis verba cognoscatis; quæ autem dicta fuerint ita ut capiti convenire

<sup>1</sup> Psal. LXVIII, 16.

non possint, ad corpus referatis. Sic enim loquitur Christus tanquam unus : quia et vere unus, de quo dictum est : « Erunt duo in carne una<sup>1</sup>. » Si enim in carne una, quid miraris, quia et in voce una ? Sequitur ergo : « Exaudi » me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua<sup>2</sup>. » Hanc causam asseruit quare debeat exaudiri, quia suavis est misericordia Dei. Nonne magis hoc erat consequens ut diceret : Exaudi me, Domine, ut suavis mihi sit misericordia tua ? Quare ergo : « Exaudi me, Domine, quoniam » suavis est misericordia tua ? » Suavitatem misericordiae Domini de tribulatione sua commendavit aliis quodam modo verbis, cum dixit : « Exaudi me, Domine, quoniam » tribulor. » Revera enim qui dicit : « Exaudi me, Domine, quoniam tribulor, » causam dicit quare se exaudiri roget : sed homini in tribulatione posito, necesse est ut suavis sit misericordia Dei. De hac suavitate misericordiae Dei videte quid alio loco Scriptura dicat : « Sicut pluvia » in siccitate, ita speciosa est misericordia Dei in tribulatione<sup>3</sup>. » Quod ibi ait, speciosa : hoc ait hic, « Suavis. » Nec panis dulcis esset, nisi fames praecederet. Ergo et quando Dominus permittit aut facit ut tribulatione aliqua simus, etiam tunc misericors est : non enim alimentum subtrahit, sed desiderium movet. Itaque quid ait modo : « Exaudi me, Domine, quoniam suavis est misericordia » tua ? » Jam noli differre exauditionem ; in tanta tribulatione sum, ut suavis mihi sit misericordia tua. Ad hoc ergo subvenire differebas, ut mihi dulce esset quod subveniebas : jam ergo ultra non est quod differas ; pervenit tribulatio mea ad mensuram certam calamitatis, veniat misericordia tua ad faciendum opus bonitatis. « Exaudi » me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua. Secundum multitudinem miserationum tuarum respice

<sup>1</sup> Gen. II, 24, et Ephes. I, 31. — <sup>2</sup> Psal. LXVIII, 17. — <sup>3</sup> Eccli. XXXV, 26.

» in me : » non secundum multitudinem peccatorum meorum.

II. « Ne avertas faciem tuam a puero tuo<sup>1</sup>. » Et haec humilitatis commendatio est, « A puero tuo, » id est, a parvo : quia jam carui superbia per disciplinam tribulationis, « Ne avertas faciem tuam a puero tuo. » Haec est illa speciosa misericordia Dei, quam supra dixit. Nam sequenti versu exponit quod dixit : « Quoniam tribulor, » velociter exaudi me. » Quid est, « Velociter ? » Jam non est quod differas : tribulor, praecessit afflictio mea, sequatur misericordia tua.

III. « Intende animae meae, et redime eam<sup>2</sup>. » Non indiget expositione : videamus ergo quod sequitur. « Propter inimicos meos erue me. » Haec plane miranda petitio est, nec breviter perstringenda, nec cursim transilienda ; prorsus miranda : « Propter inimicos meos erue » me. » Quid est, « Propter inimicos meos erue me ? » Ut confundantur, ut crucientur liberatione mea. Quid ergo, si non essent illi qui liberatione mea essent cruciandi, mihi subveniri non debuit ? et tunc tibi acceptabilis est liberatio, cum fuerit alterius damnatio ? Ecce non sunt inimici, qui vel confundantur vel torqueantur de liberatione tua : sic remanebis ? non liberaberis ? An ad hoc ut valeat inimicis tuis, quo possint et ipsi tua liberatione converti ? Sed et hoc mirum est, si habeat aliquam petitionis causam. Numquid enim ad hoc liberatur servus Dei a Domino Deo suo, ut alii proficiant ? Quid, si deessent qui proficerent, ille servus Dei non erat liberandus ? Quocumque ergo me convertam, sive ad punitionem, sive ad liberationem inimicorum, non video causam petitionis hujus, « Propter inimicos meos erue me : » nisi aliquid intelligamus, quod cum dixerio adjuvante Domino, judi-

<sup>1</sup> Psal. LXVIII, 18. — <sup>2</sup> Ibid. 19.

cabit in vobis qui habitat in vobis. Est quædam liberatio sanctorum occulta : hæc propter ipsos fit. Et quædam publica et manifesta : hæc propter inimicos eorum fit, sive puniendos, sive liberandos. Nam utique Deus de ignibus persecutoris non liberavit fratres Machabæos<sup>1</sup>, quibus Antiochus sæviens etiam matrem adhibuit, cujus blanditiis ad amorem vitæ converterentur, et amando vivere hominibus, Deo morerentur. At illa mater, jam non Evæ, sed matri Ecclesiæ similis, quos cum dolore pepererat ut vivos agnosceret, cum gaudio vidit morientes; et ad hoc hortata est, ut eligerent potius mori pro paternis legibus Domini Dei sui, quam vivere contra eas. Quid hic credituri sumus, fratres, nisi quia liberati sunt? Sed occulta fuit illorum liberatio: denique ipse Antiochus, a quo occisi sunt, visus est sibi aliquid fecisse, quod ejus crudelitas dictabat, vel potius incitabat. At vero tres pueri de camino ignis aperte liberati sunt<sup>2</sup>; quia et corpus eorum erutum est, salus eorum publica fuit. Illi ergo sunt in occulto coronati, isti in aperto liberati: omnes tamen salvati. Quis autem fructus liberationis trium puerorum? Quare eorum corona dilata est? Ipse Nabuchodonosor conversus est ad Deum ipsorum, eumque prædicavit, quia eruit servos suos; quem contempserat, cum eos miserat in caminum. Est ergo liberatio occulta, est liberatio manifesta. Liberatio occulta ad animam, liberatio manifesta etiam ad corpus pertinet. In occulto enim anima liberatur, in manifesto corpus. Porro si ita est, in hoc Psalmo vocem Domini agnoscamus: ad occultam liberationem pertinet quod supra dixit: « Intende animæ meæ, et redime eam. » Restat corporis liberatio: quia eo resurgente, et in cælos ascendente, et Spiritum sanctum desuper mittente<sup>3</sup>, conversi sunt ad ejus fidem qui in ejus morte sævierunt, et ex

<sup>1</sup> 2 Machab. vii. — <sup>2</sup> Dan iii, 49. — <sup>3</sup> Act. i, 9, et ii, 4.

inimicis amici facti sunt per illius gratiam, non per justitiam suam. Ideo secutus est, « Propter inimicos meos » erue me. Intende animæ meæ, » sed hoc in occulto: « Propter inimicos autem meos erue » et corpus meum. Nihil enim inimicis meis proderit, si solam animam liberaveris: aliquid se egisse, aliquid se implevisse credituri sunt. « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in » corruptionem<sup>1</sup>? » Ergo, « Intende animæ meæ, et re » dime eam, » quod tu solus scis: deinde et « Propter » inimicos meos erue me, » ut caro mea non videat corruptionem.

IV. « Tu enim cognoscis opprobrium meum, et confusionem meam, et verecundiam meam<sup>2</sup>. » Quid est opprobrium? quid est confusio? quid verecundia? Opprobrium est quod objicit inimicus. Confusio est quæ mordet conscientiam. Verecundia est quæ facit ingenuam frontem etiam de falsi criminis objectione erubescere. Non est crimen; aut etsi crimen est, non est illius cui objicitur: sed tamen infirmitas humani animi plerumque verecundatur, etiam cum falsum objicitur; non quia objectum est, sed quia creditum. Omnia hæc sunt in corpore Domini. Nam confusio in illo non poterat esse, in quo culpa non inveniebatur. Objiciebatur crimen Christianis, hoc ipsum quod Christiani essent. Illa quidem gloria erat: fortes libenter accipiebant, et sic accipiebant, ut omnino de nomine Domini sui non erubescerent. Operuerat enim irreverentia faciem ipsorum, habentium frontem Pauli dicentis: « Non enim erubescere de Evangelio: virtus enim Dei est » in salutem omni credenti<sup>3</sup>. » O Paule, nonne tu es adorator Crucifixi? Parum est, inquit, inde mihi non erubescere: imo hinc solum glorior, unde me putat inimicus erubescere. « Mihi enim absit gloriari nisi in cruce

<sup>1</sup> Psal. xxix, 10. — <sup>2</sup> Id. lxxviii, 20. — <sup>3</sup> Rom. i, 16.